

*Glaucus in mari.
ri. Prouerb. de
ijs qui mortui ui
uere creduntur.*

unum in locum plures concludens & occultans aduersabat, ut hyemali tempore, quando reliqui piscatores nullos capere pisces poterat, solus ipse haberet. Cuius ob id quoscunque pisces exoptassent, sese protinus allaturum esse pollicebatur, sicque & quos utique uoluissent, eis statim afferebat, Glaucus ob id marinus uocitabatur. Qui mox cum in marinam feram incidisset, ab ea consumptus est. Quo è mari nusquam redeunte, Glaucus cum in mari uiuere atque ibi considere fabulati sunt.

De Bellerophonte.



Bellerophontem ab equo Pegaso, qui penatus erat, gestari solitum fuisse tradunt. Mihi uero absurdum prorsus uidetur, equum uolitare posse, etiam si omnium auium pennas sibi adiunxisset. Atque adeo si quandoque tale animal fuit, nunc etiam utique existeret. Illum etiam Bellerophontem aiunt Amisodari chimæram interfecisse, quæ quidam bellua erat, ut dicitur, prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra. Quidam uero existimant hanc feram fuisse tria capita habentem, quod impossibile est, Leonem scilicet similibus cum aliis animantibus cibis atque domesticis uti, quod uero mortalem naturam habuisse, ignemque eam ipsam spirasse dicitur, puerile est. Cui nam enim quæso potissimum ex illis tribus capitibus in reliquum corpus potestatem fuisse dicendum est? Verum ergo ita habet. Bellerophontes Phrygius uir erat, genere quidem Corinthius, bonus pulcherque satis. Hic cum nauigium sibi præparasset, maritima circumquaque loca depraedabatur, nomen autem nauis Pegasus erat, ut nunc quoque suum cuilibet nauigio nomen est inditum. Nomen autem id Pegasi nauigio magis, quam equo aptum fuisse uidetur. Ea uero tempestate Amisodarus rex ad Xanthum flumen habitabat, sub quo altus mons Telmissus nomine erat, ad quem duo ascensus per planitiem, pascuaque ab anteriori ciuitatis Xanthiorum parte erant. Tertius retro à Caria, reliqua uero loca inculta inaccessaque prorsus iacebant, horumque in medio hiatus terræ satis magnus erat, unde uel ignis utique superascendebat, his autem mons alius Chimæra dictus adiacebat. Illo uero tempore, quemadmodum eius regionis incolæ narrant, ante planitiem illam habitatam leo quidam erat, retro uero draco unus, qui pastores ambo circumquaque lædebant. Ad quæ loca Bellerophontes accedens, montem expugnauit, & Telmissus ab eo simul concrematus est, feræque illæ sic perierunt. Dicebant itaque eius loci habitatores Bellerophontem illuc cum Pegaso appulsum, Amisodari Chimæram perdidisse, quo ex facto fabula conficta est.

De Pelope & equis eius.



Elopem cum alatis equis Pisam, ut Hippodamiam Oenomai filiam desponsatet, uenisse dicunt. Ego uero eadem serme de Penelope dico, qualia & de Pegaso quoque dixi. Si enim Oenomaus Pelopis alatos equos uidisset, non utique illi filiam suam in uxorem, quæ talem currum ascenderet, præbere uoluisset. Dicendum itaque potius fuit, quod Pelops nauem impellens, quæ equis quibusdam alatis insculpta erat, ad Hippodamiam puellam rapiendam accessit, qua rapta fugiens uehebatur. Talisque super hac re fabula formata fuit.

De Phrixe & Helle.



Narrant insuper Phrixe ab ariete prædictum fuisse, quod pater Athamas eum mactare in animo habebat, quo audito, sorore sua Helle secum aduocata, arietem ipsum cum ea inscendit, mareque ambo sulcantes, in Euxinum portum peruenerunt: quod quidem, ut credi possit, per quam difficile est, quod aries ueluti nauigium quodpiam esset, mare pernatate tanto præsertim duorum hominum pondere onustus, potuerit. Et ubi nam quæso alimenta cibi, potusque arietis, atque illorum in mari esse poterant? Absit enim quod eos ullo pacto impastos & absque cibo potusque tanto tempore manere potuisse dicamus. Illud post hæc absurdum est, quod de Phrixe quoque dicitur, quod salutis suæ autorem, seruatoremque arietem cum mactauisset, pellem ei detraxit, quam Aetæ muneris loco, ut filiam eius in uxorem haberet, dedit.

Hic

*Amisodari chi
mæra Hom. car
men Iliad. 2*

Bellerophontes

*Pegasus nauis
nomen
Nomina quoque
sua nauibus sunt.
Amisodarus rex
Telmissus mons*

Chimæra mons

*Nauis insculpta
Pisam*